



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

9. De Regno Et Sacerdotio Christi spirituali & æterno, in dictum Zachariæ
9. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Hæc pete, quæ æthereo sine fine sequentur Olympo,
Gaudia quæ capient post sua fata piæ.*

9. DE REGNO ET SACERDOTIO
Christi spirituali & æterno, in dictum
Zachariæ 9. Ecce rex tuus venit
tibi mansuetus.

*Est Christus summus noster rex atq; sacerdos,
Nobis qui summus munera summa tulit.
Est regis munus, populo regnoq; benignam
Hostibus euictis ferre salutis opem.
Hæc habuit legis veteris sibi terna sacerdos
Munera, qui summus præses in æde fuit.
Sacrificet Domino, pia tradat dogmata plebi,
Ad Dominum faciat vota precesq; Deum.
Munera quæ Christus cœlesti missus ab arce,
Omnia pro nobis gessit in orbe Deus.
Hostibus à sæuis dura nos morte redemit,
Peccato, letho, tartareoq; cane.
Ad patris claro residens nunc æthere dextram,
Hostes quos contra nos iuuat atq; regit.
Æterni mentem docuit nos patris, & orans
Pro nobis patrem vota precesq; facit.
Post etiam sanctum pro nobis se obtulit agnum,
In ligno pendens victima grata Deo.
Est semel oblatus pro nobis victima Christus,
In ligno soluens debita λύτρος patri.*

*Sed rogat aeternum pro nobis vsq; parentem,
Et seruat verbi dogmata sancta Dei.*

10. **DISTINCTIO PERSONARUM**
diuinitatis, & singularum
officium, seu opus.

*Est pater aeternus fons rerum primus & autor,
Verus & omnipotens ingenitusq; Deus.
Qui genus humanum summa bonitate recepit,
Condonans culpam demonis atq; dolos.
Filius aeterni genitus de mente parentis,
Splendor & effulgens patris imago Dei.
Hic nostra sumpta casta de virgine massa,
Morte sua λύτρωσιν crimina nostra luit.
Spiritus est flatus patris natiq; benignus,
Procedens vero verus vtroq; Deus.
Mentibus hoc missum nostris spiramen ab alto,
Conformes vero nos facit esse Deo.*

II. **DE PASSIONE DOMINI.**

*Innocuus moritur mundi pro crimine Christus,
Sponte sua patiens vulnera, probra, necem.
Iusserat hoc ordo nostra ratioq; salutis,
Non aliter poterat vera redire salus.
Nanq; Deus nostris offensus saepe nephandis
Criminibus, dignum postulat ipse λύτρωσιν.*

Hoc